Bentbus M. contra Zaborowski.

MONITA SALUTARIA

Data anonymo authori ſcripti nuper editi, cui titulus falsò inditus,

MONITA PRIVATA Societatis IESV.

I. IOAN: 2.

Ex nobis prodierunt, ſed non erant ex nobis. Nam ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent vtique nobiſcum. Sed vt manifeſti ſint, quoniam non ſunt omnes ex nobis.

PSAL: 40.

Qui edebat panes meos, magnificauit ſuper me ſupplantationem.

PSAL: 108.

Maledicent illi, & tu benedices.

Anno Domini, 1615.

D. August: Epist: 137.

Simpliciter fateor charitati vestræ coram Domino Deo nostro, qui testis est super animam meam, ex quo Deo seruire cœpi, quomodo difficilè sum expertus meliores, quàm qui in Monasteriis profecerunt: ita non sum expertus peiores, quàm qui in Monasteriis ceciderunt. Ita vt hinc arbitrer scriptum in Apocalypsi: Iustus iustior fiat, & sordidus sordescat adhuc.

Ibidem.

Etsi contristamur de aliquibus purgamentis, consolemur tamen etiam de pluribus ornamentis. Nolite ergo propter amurcam, qua oculi vestri offenduntur, torcularia detestari, vnde apothecæ Dominicæ fructu olei luminosioris implentur.

Ad candidum Lectorem.

Monitum te velim, Candide Lector, si fors in scriptum quoddam, cui titulus, MONITA PRIVATA Societatis IESV, *incideris: scito non esse ista Monita Societatis, neque ex eius vnquam officina prodiisse, neq; ad eam quoquomodo pertinere. Lusus est iste cuiusdam Simiæ. Demosthenes quōdam Aeschinem, simiam tragicam appellauit, quòd personatus quodammodo verborum grauitate videretur, cum alioquin moribus & genere vitæ, ab officio viri boni & grauis plurimùm abesset. Notum etiam est, Simiam gestus & motus humanos effingere ridiculè conari, sed perfectè assequi non posse. Denique Iouem ipsum fabulantur Poëtæ, quarumdam insularum homines, ob insignem eorum impudentiam, in simias commutasse. Qua de re Ouidius:*

Quippe Deûm genitor fraudem & periuria quondam Metam: lib: 14.
Cercopum exosus, gentisq; admissa dolosæ,
In deforme viros animal mutauit: vt iidem
Dissimiles homini possent, similesq; videri.

Author iste Monitorum prædictorum quisquis est, plusquàm tragica simia est, non à Ioue, sed à propria vesania & temeritate, in simiam, animal minimè verecundum, commutatus. Legit iste aliquando MONITA GENERALIA Societatis IESV, *cùm adhuc in Societate viueret: nam quicquid ipse celet & dissimulet, satis apertè prodit, se aliquando Societatis alumnum fuisse. Ad eorum Monitorum normam & imitationem, sua quoque ipse Monita priuata confingere, & sub nomine Monitorum Societa-*

tis statuit euulgare. Sed simia est simia, animal & rationis, & pudoris omnis expers. Lusum fecit sibi hæc simia, Societatem IESV, *quæ illum aliquamdiu ut creditur, parentis instar aluit & fouit. Sed lusum amarum, mordacem, & doli versutiæque plenum, qualem non sanè ab alio quàm ab eo, quem veluti abortiuum tandem è sinu suo iustis de causis Societas proiecisset, expectare potuit. Tu ergo candide Lector, si in manus tuas huiusmodi Monita venerint, tanquam spurium fœtum, fraude doloque malo Societati suppositum, despue & abiice, & veru atque obelisco confige: memor illius Cyrilli,* Nihil esse facilius, quàm mentiri & temerè vituperare. *Vale.*

Lib: 10. contra Iul.

MONITA
Monitori data.

NON te refutandum, ô Monitor, ſed admonẽdum duxi. Nam vno verbo refutari potes. ſi dicam quod res eſt, Monita tua non eſſe Monita, ſed mendacia & figmenta è cerebro tuo malè ſano enata, non ex vlla Societatis officina profecta, ad infamiam tamen & dedecus Societatis conciliandum, à te malè cõcinnata. Simili refutatione vſus eſt. Neemias, cùm ei Sanaballat hoſtis Iudaici nominis, epiſtolam criminationibus plenam obtuliſſet. Reſpondit enim: *Non eſt factum ſecundùm verba hæc quæ tu loqueris. De corde enim tuo tu componis hæc.* Idem tibi à me dictum reſpõſionis loco puta. Non eſt factum in Societate ſecundùm verba hæc, quæ tu loqueris: De corde enim tuo tu hæc composuiſti. *2. Eſdr: 6.*

Itaque paucis refutandus es: ſed monendus pluribus. Ad certa capita admonitionem totam reuocabo.

MONITVM I.

Conſideret Monitor, quo ſpiritu ductus, animum ad ſcribendum Monita Societatis appulerit.

ETſi non ſim neſcius, ſcriptum alicubi eſſe à Gregorio Nazianzeno, rem quandam eſſe conſiderationis expertem malitiam: ego tamen, quòd non omnino de reditu ad ſaniorem mentem noſtri Monitoris deſperem, ad aliquas perutiles & pernceſſarias ipſi conſiderationes, illum reuocare decreui. Primùm ergò omnium Monitor conſideret, ſecumque reputet diligenter, quis eum ſpiritus ad Monita Societati conſcribenda & tradenda perpulerit. Ego non ambigo ſpiritum hunc Dei non fuiſſe. Spi- *Orat: 1. cõtra Iulia.*

ritus enim Dei verax est, spiritus autem Monitoris mendax. Spiritus Dei syncerus & minimè fucatus est: spiritus aũt Monitoris est hypocriticus, dolis & sycophãtiis plenus. Spiritus Dei author est, aliorum facta, etiam dubia, in meliorem partem interpretandi, quam doctrinam cum D.
2. 2. q. 60. a 4. Th. communi consensu amplectuntur Theologi: spiritus autem Monitoris, omnia illa quæ à Societate optimo consilio fiunt, nec à quoquã meritò in suspicionẽ vel crimen vocari possunt, in pessimam partem malitiosè exponit & detorquet. Quis ergò est spiritus iste? Ego quidem non alium puto, quàm eum qui aliquando Celsum Epicureum, qui Porphirium & Hieroclem, Christianæ religionis desertores, ad scribendum contra eandem religionem concitârat. Qui enim spiritus, vniuersum Christianæ religionis corpus, multis calumniis & criminationibus, per homines potissimùm eiusdem religionis desertores, aliquando exagitauit; idem etiam peculiaria eius membra, quales sunt religiosi Ordines, maximè per eorundem Ordinum desertores, exagitare subinde non cessat.

Ac mihi quidem, Celso Epicureo persimilis Monitor iste, in nonnullis videtur. Nam imprimis Celsus libros suos, quibus Christianam religionem insectatus est, nobili
Baron: A. D. 132. n. 17. titulo nimirum, VERI SERMO, illustrauit & inscripsit: cùm tamen nonnisi cauillis, mendaciis & prauis mysteriorum fidei nostrę intepretationibus, libri illi constarent. Sic & Monitor iste cauillis, mendaciis, sycophantiis, malitiosis interpretationibus, scriptum suum, quantum quantum est infartum, nobili titulo Monitorum priuatorum Societatis inscripsit. Celsus complura ex his quæ in Euangeliis leguntur sugillabat, & blasphemis conuitiis incessebat, vt Origenes qui eum confutauit testatur. Sic iste Monitor complura ex his quæ in Societate sanctè & religiosè præcipi, vsurpariq; viderat, sugillat, & commeritis suis sinistris in inuidiam vocat: Celsus testabatur se cum Christianis vixisse, & nostrę religionis cõmentarios perlegisse,

nihil-

nihilque se fugere, sed omnia nosse, proinde rectè de tota religione iudicare posse. Et Monitor noster, ita Monita sua confecit, vt se in Societate aliquamdiu vixisse, & Societatis institutum probè pernouisse, nihil se proinde eorum quæ fiunt in Societate fugere, nullum arcanum latere, sed omnia sibi perspecta esse & explorata non dubiis argumentis ostendat. Ipse quidem agnosci non vult, vxorem Ieroboam imitatus, malę scilicet causæ suæ diffisus; sed sicut vxori Ieroboam dictum est: *Quare aliam te esse simulas?* 3. Reg: 14. sic & Monitor iure optimo dici potest: Quare te alium scilicet Generalem aliquem Societatis Præpositum, ad quem Monita Societati præscribere spectat simulas? *Pone fili*, di- D. Greg: cebat S. Benedictus Spathario Regis Totilæ dum se Toti- lib: 2. dial. lam esse mentiretur, *Pone hoc quod portas, non est tuum*. Pari cap: 14. modo & tu Monitor, pone laruam qua vultum obnubis. Non monere tuum est desertoris, sed cauillari & fraudes technasq́; fabricare. Denique Celsus quas in religionem Christianam excogitauerat strophas & calumnias, dolosè concinnauit, nec apertè, sed occulto Marte pugnauit, mendacia sua, versutus impostor, fucatæ veritatis specie, mirum quàm artificiosè velauit. Non absimili ratione Monitor oppugnare Societatem est aggressus. Non ei apertum bellum intulit, sed fraude doloque agere decreuit. Imposturas suas & figmenta, pro Monitis Societatis in vulgus edidit, & hanc veluti laruam quamdam plurimis fraudibus suis & mendaciis prætexuit.

Sed est etiam in quo eum præterea cum Porphyrio Apostata comparem. Nam Porphyrium constat aliquando Christianum fuisse. Sed cùm Cæsareæ Palæstinæ à qui- Socr: li. 3. busdam Christianis reprehensus esset, & præ graui qua ar- cap: 19. debat iracundia, reprehensionem illam ferre non posset, religionem Christianam deseruit: & odio illorum qui eum obiurgauerant cœcatus, præcipiti studio, totum se ad scribendum, & maledicè ac contumeliosè lacerandam religionem contulit. Certè Monitorem nostrum, nimis

quàm

quàm vehemens coniectura est, alumnum Societatis aliquando fuisse: sed vel seueriorem eius disciplinam, & pro delictis reprehensiones & castigationes perosum, ab instituto desciuisse: vel vt noxium humorem à corpore Societatis nauseabundo, ex intimis visceribus esse proiectum. Quæ res illum in Superiores Societatis, vehementiùs odio & maleuolentia incendit, vt eorum veluti nomine, Monita Societatis confingeret, & piam religiosamque sociorum, ad suas functiones ex regularum præscripto obeundas, institutionem, & administrandæ religionis totius modum, sycophantijs suis in odium & turpissimę imposturæ suspicionem vocaret. Porphyrius præterea, vt author est Lactantius, ineptus, vanus, ridiculus in scribendo contra religionem Christianam apparuit, ita vt quid loqueretur nesciret. Diceres Monitorem hunc à Lactantio descriptum. Non ouum ouo magis simile, quàm hic Porphyrio.

Quod deniq; ad Hieroclem attinet, is eodem Lactantio authore, cùm Christianum nomen persequi vellet, libellos duos non contra Christianos, ne inimicè insectari videretur, sed ad Christianos, vt humanè & benignè consulere putaretur, composuit. Mirum ni in Hieroclis schola, Monitor quoque noster sit institutus. Nam & is scriptum edidit, specie tenus non contra Societatem, ne eam inimicè insectari videretur, sed ad Societatem, Monita ei præscribendo, vt ei humanè & benignè consulere putaretur. Hierocles præterea, inquit Lactantius, adeò multa, adeò intima religionis Christianæ capita numerauit, vt aliquando ex eadem disciplina fuisse videretur: *Quod si fuit*, inquit Lactãtius, *quis eum Demosthenes poterit ab impietate defendere? qui religionis cui fuerat assensus, & fidei cuius nomen induerat, & sacramenti quod acceperat, proditor factus est.* Hæc Lactantius in Hieroclem, quæ in se quoq; conuenire Monitor, si quid habet conscientiæ, planè animaduertet. Quis enim eum Demosthenes poterit ab impietate defendere,

qui

qui Societatis, cuius institutum erat complexus, & cui se voto reuinxerat, proditor factus est, tàm turpiter eam traducendo, & omnium, quantum in ipso est, ludibrio exponendo. Eundem Hieroclem vocat Lactantius delirum caput, & discipulum Anaxagoræ, cui niues atramentum fuerunt. Adhæc subdolum appellat, qui lupum sub ouis pelle tegere voluisset, vt fallaci voluminis contra Christianos editi titulo, posset irretire lectorem. Monitor noster, ipsus est Hierocles nouus, à Lactantio tàm graphicè descriptus. Horum ergo trium Christianæ religionis hostium, spiritu afflatus noster quoque Monitor, animum ad vexandam Societatem appulit; vel hoc solo nomine miserandus, si se tàm mali spiritus instinctu impulsum, ad sua commenta in lucem prodenda, non animaduertit.

Sed videtur præterea spiritu eodem plenus iste Monitor, quo Agrestinus quidam, Luxouiensis quondam Monasterij desertor erat imbutus. De quo libet nonnulla ex Iona Abbate, rerum sui temporis accurato scriptore, commemorare. *Liuidus*, inquit, *Chelidrus*, (ita spiritum Agrestini Ionas describit) *cùm videret Eustasium Luxouiensis Monasterij Abbatem, omnium Francorum Procerum honore fulciri, & præcipuè Clotarij regis amore ac veneratione lucere; exarsit more suo aduersus sancti viri famam, & vnum ex subditis eius, contra eum, Agrestinum nomine, excitauit, &c.* Profectò eidem diabolo Liuido Chelidro, id præcipuè nunc dolet, quòd videat Societatem, Regum, Principum, & Procerum amore & veneratione lucere. Exarsit ergo more suo, & aduersus sanctæ religionis famam, vnum ex eius quondam Alumnis excitauit. Pergit Ionas de Agrestino: *Is quadam compunctione cordis tactus, omnia quæ possidebat relinquens, & Luxouium veniens, se & sua omnia venerabili Eustasio tradiderat; is, inquam, religionis speciem in Monasterio gestans, post non longum tempus conuersionis, arrogantia mentis elatus, postulat vt gentium prædicator esse permitteretur. Quem vir sanctus diu obiurgans increpabat. Sed cùm dissuasionibus nihil proficeret, quem tenere non* *In vita S. Eustasii.*

 valet,

valet, ire permittit: nec multò post redeuntem, & nihilo meliorem factum, cùm salubri antidoto, mentem eius peste corruptam, curare nequisset, à suo suorumq; collegio tandem segregatum abire coëgit. Videat seipsum in hoc veluti speculo, Monitor, an non quidpiam simile, precibus obtinere aliquando à Superioribus Societatis contenderet, quod cùm ei meritò esset negatum, ita se deinceps gesserit, vt instar Agrestini, corruptam peste mentem habentis, vel à Societate tandem discedere iussus sit, vel cùm in ea diutiùs teneri non posset, ire sit permissus. Subdit Ionas: *Fugatus ab Eustasio miserabilis Agrestinus, huc illucq; diuertit, vt aliquos sui erroris fautores facere posset.* Num & in hac parte non Agrestino iste similis? *Tandem*, inquit Ionas, *aduersus regulam B. Columbani, cuius discipulus Eustasius fuerat, Liuido dente Agrestinus garrire cœpit, ac veluti cænosa sus gruniens, per quoscunq; potuit, parilitatis suæ similes, abominabile murmur excitauit.* Hæc Ionas. Non absimile consilium noui huius Agrestini. Monita particularia Societatis confinxit, in quibus institutum, disciplinam, munia à Societate obire solita, Liuido dente arrodit, id vnum spectans, vt per quoscunque posset *parilitatis suæ similes.* (vtar enim verbis Ionæ) *abominabile aduersus Societatem murmur excitaret.* Ad extremum, videtur iste Monitor, in Monitis Societati præscribendis, eius spiritus ductum secutus, à quo non ita multo ante impulsi hæretici Caluinistæ, Compendium priuilegiorũ Iesuiticorum vulgarunt, quod non tàm Societatis priuilegiorum compendium, quàm mendaciorum Caluinisticorum Ilias fuit. Quem spiritum Dei non fuisse, ne ipse quidem Monitor, quem Catholicũ esse non dubito, ambigere poterit. Quòd si tandem à me scire cupit Monitor, vt perspicuis verbis eloquar, quis eum spiritus ad monendam Societatem impulerit? Dicam cum S. Cypriano: *Hoc semper est opus diaboli, vt seruos Dei mendacio laceret, & opinionibus falsis gloriosum nomen infamet, vt qui conscientiæ suæ luce clarescunt, alienis rumoribus sordidentur.*

Epist: 52.

MONI-

MONITVM II.

Consideret diligenter quàm rectè Monitoris partes egerit.

NEc minùs illud Monitor diligenter consideret, rectè-né an secus, suas in monenda Societate partes, Monitoris expleuerit. Monitoris eius, qui monita toti alicui Ordini religioso præscribit, munus & graue & sanctum est. Graue, quia authoritatis & potestatis in religionem pondus requirit: Sanctum, quia ad perfectionem religiosam, quam esse conuenit sanctam, religiosos prouehere Monitor eiusmodi debet. Tali munere Monitoris, noster Monitor fungi non potuit; nam quæ illi in Societatem, à qua desciuit authoritas? quæ potestas? Sanctitatem verò aliquam, quî possunt eius Monita spirare, quæ merè sunt imposturæ, hominis & propriæ conscientiæ, & alienæ famæ, rationem nullam ducentis? Adhæc necesse est, Monitorem Ordinis religiosi, prudentia & charitate insigni præditum esse. Noster Monitor, pro prudentia fraudibus & dolis, pro charitate odio & inuidia, pectus suum instruxit. Eumné ergo vt quisquam verum Monitorem, & veri Monitoris officio functum putet? Cuius ergo partes fictus iste Monitor egit? Fatebor quod res est, sycofātię, Simiæ, Scorpii. De sycophanta sic probo. Necesse est eum non vulgarem sycophantam esse, qui assumpta viri boni specie id vnum agit, vt quàm plurimos ad sycophantias & artes callidas & veteratorias, certis quibusdam præceptionibus & monitis instituat; & cùm id agat, nihilominus vir bonus & religiosus, & ad pietatem omnia referens haberi velit. Talis est Monitor noster; nam eum talem esse, Monita ipsa loquũtur: quæ non aliud fermè sunt, quàm præceptiones de fallaciis, fraudibus, simulata pietate, & sycophantia, sub nomine religioso exercenda. Necesse est, ergò eum non vulgarem sycophantam esse, qui tam rectè in suis Monitis sycophantæ munus expleuerit. Nolim cœtum aliquem sui similium cōgregaret, quos præce-

ptis suis ad versutiam omnem & simulationem institueret. Nam sycophantarum plena omnia haberemus.

Dicet quispiam. Nõnullorum opinio de hominibus Societatis est, eos esse versutos, fucatos, qui per speciem pietatis, multa ab instituto religioso aliena faciant, ac proinde tales ab isto Monitore esse descriptos. Duo sunt quæ respondeam. Primum. Nihil esse mirum, nonnullos eam de Societatis hominibus opinionem conceptam animo habere: quia nihil mirum est, nonnullos esse qui virtutem vitium putent, qui ex suo ingenio alios metiantur, qui de nemine rectè existimare norint, qui omnia rectè facta aliorum, in deteriorem partem exponunt: vno verbo, si nihil mirum est non deesse in mundo Zoilos, inuidia, maleuolentia & odio plenos; nihil etiam mirum est, non deesse qui de Societate pessimè & sentiant, & loquantur, & scribant. Tolle de mundo Zoilos, Societas eo loco quem meretur ab omnibus habebitur, neq; Societatis homines vlla deinceps infamia laborabunt. Sed si fieri nequit, vt mundus omnino Zoilis careat, nec illud erit ab hominibus Societatis exigendum, vt omnes prorsus calumnias & sinistras omnium suspiciones euadãt. Est aliud quod cum D. Gregorio Nazianzeno, insigni & sanctitate, & doctrina viro respondeam. Is ergo cùm à Zoilis & obtrectatoribus maleuolis, nonnulla criminis loco essent ei obiecta, & id potissimum inculcatum, quòd multi de eo pessimè sentirent, in hunc modum pro se respondit. *Multis secus de me videtur? Quid verò mea interest, qui rei veritatem magis curo, imo solùm curo? Hoc enim vel me condemnauerit, vel absoluerit, hoc miserum vel beatum reddiderit. At quid aliis videatur, nihil ad nos, quemadmodum nec alienum somnium. Non ita aliis videtur ais? An iis qui vertigine correpti sunt, terra fixa & stabilis esse videtur: an ebriis qui sobrii sunt, integra mente esse, ac non potiùs in caput incedere, ac sursum deorsumq; moueri? An non quibusdam interdum hominibus mel amarum est, nempe morbo laborantibus maleq; affectis? At non propterea res ita se habeat, vt qui hoc statu*

sunt

suntarbitrantur. Quocircà fac prius fidem sanos esse eos, qui de nobis ita sentiunt, ac tum nos admone, vt meliorem mentem induamus, aut condemna nisi consilio tuo pareamus, sed in eadem sententia perstemus. Non ita multis videor? At Deo ita, imò non videor, sed perspicuus & manifestus sum ei, qui omnia priusquam oriantur nouit, qui corda nostra, omnes motus & cogitationes, cum quibus res à nobis geruntur, intelligit, quem nihil eorum quæ sunt latet aut latere potest, qui aliter res nostras intuetur, atque mortales solent, (homo enim, si scripturæ fides habenda est, videt in faciem, Deus autem cor intuetur) cuius iudicium cordatis hominibus pluris faciendum, magisq; curandum est, quàm omnium aliorum in vnum collectorum, &c. Hæc Nazianzenus pro se, quibus nihil accommodatiùs pro Societate quoque potest responderi.

Iam ostendam breuiter, quomodo Monitor noster, vt simia & scorpius se gesserit. Principio faciem & gestum hominis, quod simia solet, ostentare videbatur, assumpta beneuoli Monitoris larua: sed breui interuallo monstrauit se quod erat, meram esse simiam, hoc est, hominem conscientiæ & pudoris expertem. Scorpius quoq; vt obseruauit D. Gregor: palpando incedit, cauda ferit, nec mordet à facie, sed posterioribus nocet. Cui comparat idē Doctor, homines blandos sed malitiosos, qui clàm quæ possunt noxia immittunt, & mortifera inferre occulti non desinunt. Tu ô Monitor talis es scorpius, palpando incedere cœpisti, sed cauda vulnus, in extremo tuo scripto mortiferum inferre, & posterioribus nocere voluisti. Collegisti testimonia de Iesuitis, quorundam Italorum & Hispanorum; Agnosco consuetam mentientium artem, qui à quibusdam ea dicta esse, quæ ipsimet confinxerunt mentiri solent. Quam artem obseruauit in Ruffino Hieronymus: *Poteram*, inquit, *& ego in te falsa congerere, & dicere, me vel audiuisse, vel vidisse, quæ nullus norat, vt apud ignorantes impudentia, veritas videretur, &c.* Nec mihi difficilè esset nonnullorum testimonia de te confingere, sed impudentia tecum certare nolo. Vnum peto: Quinam sunt illi

Homil: 9. in Ezech.

quidam Hispani & Itali, qui tàm præclarum Societati testimoniũ dederunt, quòd eius Patres sint arte iniqua, fraude dolosa, dolo maligno? Fors tui similes religionis desertæ iurati hostes? Facilè concedo. Sed eorum testimonium nihil moror. Legi enim scriptum: *Homo apostata vir inutilis, graditur ore peruerso, prauo corde machinatur malum, & omni tempore iurgia seminat.* Similiter quod de Cretensibus ex quodam Poëta scripsit Apostolus, id in apostatas perbellè conuenit: *Cretenses* (Apostatæ) *semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri.* Sed age, quæro iterum, cur istorum quorundam testium nomina non edidisti? Scilicet, vt liberiùs mentiri posses. At verò ait præclarè Gregor: *Quisquis veraciter loquitur, semetipsum innotescere non debet formidare.* Tu Monitor neque temetipsum, neq; testes quorum testimonia recitas, vis in aliorum notitiam venire: non ergo veraciter loqueris, sed mentiendo occidis animam tuam. Quòd verò ex Polonis Episcopos summæ authoritatis, Macieiouium, & Radiuilum Cardinales, Sulicouium Archiepiscopum Leopoliẽsem, & Myscouium Episcopum Cracouiensem, vt testes contra Societatem, nostra simia & scorpius producit, incredibilem suam impudentiã ostendit. Quis enim credat viros illos, qui Societatem & optimè nouerant, & vnicè coluerant & dilexerant, ea quæ iste recitat, commutata sententia & voluntate de eadem Societate scripsisse? Quis verò ei prædictorum Antistitum literas monstrauit? Vbi nam vel ipsa autographa literarũ, vel earum ex fide descripta exemplaria vidit? O impostor, quàm crasso nõ filo, sed fune potiùs tuas imposturas contexuisti? Talesné vt epistolas, viri grauissimi, tàm leues, tàm insulsas, tàm mordaces, & talibus verbis scripserint? Sed illud perfugium, imposturæ tuæ paratum habes, quod tanti viri obierint, qui si nunc viuerent, os tuum impudens quo meritus es conuitio verberarent. Concludo, monitor noster in toto suo scripto non Monitoris, sed sycophantæ, & simiæ, & scorpij munus expleuit.

Prouer: 6. Ad Tit: 1. Epist: 30. lib: 5.

MONI-

MONITVM III.

Consideret Monitor, quam sit fidem apud probos homines habiturus.

NEc illud prætermittat Monitor, quin accuratè consideret, quam sit fidem apud probos homines cum suis Monitis habiturus. Sunt enim duo præcipuè, quæ fidem ei omnem adiment. Vnum: quia vt creditur, Societatem quam complexus aliquãdo fuerat, turpiter deseruit, à qua diutiùs non potuit iustas ob causas retineri. Notus autem est omnibus genius desertorum religionis. Nam quod ipsi vel egerunt vel agerent, id per summam impudentiam vniuerso Ordini affingunt, vt inconstantiam & defectionem suam excusent & obtegant. Cùm de S. Cornelio Pontifice, à desertoribus fidei sparsum esset, eum passim communicare sacrificatis, respõdit S. Cyprianus: *Hoc de Apostatarum fictis sermonibus nascitur. Neque enim possunt laudare nos, qui recedunt, aut expectare debemus vt placeamus illis, qui nobis displicentes, & contra Ecclesiam rebelles, sollicitandis de Ecclesia fratribus, violenter insistunt, &c.* Audiat Monitor eadem sibi à probis viris dici; Non potest laudare Societatem, qui ab ea recedit, odio scilicet disciplinæ ductus, neq; expectare Patres debent vt placeant illi, qui contra Ordinem eorum rebellis, alios quoque contra eam commouere violenter insistit. *Epist: 25.*

Alterum: Quia difficilem admodum, ne dicam impossibilem prouinciam Monitor suscepit. Vult enim hominibus persuadere, eos, qui Societatis institutum sequuntur, ad artes sycophanticas & veteratorias ac parasiticas, ab ipsa religione certis monitis & præceptionibus institui. Hoc quis nisi vel hæreticus, vel emotæ mentis homo credat? Nam boni & prudentes quique, cùm aliquem ex religiosis, ab officij religione vident in re quapiam deflectere, succensent quidem personæ, non tamen ex eius vnius moribus, de alijs religiosis eiusdem

dem Ordinis existimant. Sed illud Tertulliani cogitant: *Etiam de oliuæ mitis & opimæ & necessariæ nucleo, asperum oleastrum exoriri. Lustraui*, scribit, *alicubi de se S. Hieron: Monasteria Nitriæ, & inter Sanctorum choros, aspides latere perspexi.* S. Augustinus religiosi Ordinis parens & moderator, ita præter cætera ad clerum & plebem Hipponensem pro suorum religiosorum fama scripsit: *Quantumlibet vigilet disciplina domus meæ, homo sum, & inter homines viuo. nec mihi arrogare audeo, vt domus mea melior sit quàm arca Noë, vbi tamen inter octo homines reprobus vnus inuentus est; aut melior quàm ipsius cohabitatio Domini Christi, in qua vndecim boni, perfidum & furem Iudam tolerauerunt: aut melior sit postremo quàm cœlum, vnde Angeli ceciderunt. &c.* Hoc ergo animo & sentẽtia, sunt viri boni, & prudentes, erga Ordines religiosos, in quibus prauos aliquando reperiri nonnullos non ignorant, sed culpam illorum & infamiam, ad alios instituti socios non extendunt. Qui verò maleuoli sunt & pessimè erga religiones affecti, hoc esse ingenio solent, vt si quando vnum, vel alterum religiosum, alienos à sua regula mores habere, vel in crimen aliquod lapsum esse intelligant; idem ab omnibus crimen admitti, & reliquos moribus non esse absimiles arbitrentur. *Extendunt*, inquit, S. Thom: *crimina religiosorum, quoad personas, vt scilicet quod ab vno vel duobus geritur, toti religioni imponere præsumant; quæ etiamsi ab aliquibus aliquando fiant, nullatenus sunt totali collegio imponenda. &c.* Expertus est huiusce ingenij homines S. Augustinus, contra quos illa præclare: *Ad quid aliud sedent isti, nisi vt quisquis monachus vel sanctimonialis ceciderit, omnes tales esse credant, sed non omnes posse manifestari. Et tamen etiam ipsi cùm aliqua maritata inuenitur adultera: nec proijciunt vxores suas, nec accusant matres suas. Cùm autem de aliquibus, qui sanctum nomen profitentur, aliquid criminis vel falsitatis sonuerit vel veri patuerit, instant, satagunt, ambiunt, vt de omnibus hoc credatur. &c.* At verò nulli nisi vel hæresibus deprauati fuerint, vel de mentis potestate penitus exierint, persuaderi sibi patiũtur, errores & peccata,

Lib: 3. contra Rust.

Epist: 137.

Opusc: 19. c. 20.

Epist: 137.

cata, quæ à religiosis interdum admittuntur, ex ipsius Ordinis religiosi disciplina proficisci, quin potiùs instituta religiosa commendant omnes, mores verò quorundam religiosorum minus religiosos culpant & damnant, & eos à vitæ ipsorum formula discrepare dolent. Quia vt rectè ait Bonau: *de his quæ irrationabiliter fiunt, reddi non potest ratio congrua. Vnde si aliqui sub habitu religionis tales aliquando videntur, non est alia ratio nisi eorum imperfectio. &c.* Hæc ille. Quare nisi vel in hæreticorum, vel hominũ emotæ mentis gratiam, Monitor sua conscripserit Monita, nemini persuadebit, vt credat homines Societatis, ad versutias & sycophantias, & modum hypocriticè agendi, ab ipsa religione & eius Moderatoribus informari. sed in calumniatore & hoste quis requirat nocendi moderationem? *Non sunt contenti,* inquit de talibus D. Thom: *qualibet mala confingere, sed grauissima, quibus religiosos suspectos reddant, & hominum Societate indignos, & omnibus odiosos, & vt eos sua detractione pleniùs opprimant, eis imponunt mala illa, quæ in Ecclesia pessima inueniri possunt, &c.* Hoc iste Monitor fecit. Malum quod in Ecclesia pessimum inueniri potest, scilicet sub habitu religioso veteratorem agere, & non animarum sed pecuniarum lucro attendere. Voluit impingere ipsi Societati; vt eius alumnos hominum Societate indignos, & omnibus odiosos redderet. Sed enim hoc nemini puto bono, prudenti & Catholico viro persuadebit.

Quæst: 20. in Regula S. Franc.

Opusc: 19. c. 22.

MONITVM IV.

Consideret Monitor, quid pro suis Monitis præmij à Deo expectare debeat.

AD extremũ veniat crebrò in mentem Monitori, quod sit præmium à Deo, pro labore in Monitis cõscribendis & Societati tradendis insumpto relaturus. Ac inprimis reputet secum illud quod scriptum est: *Spes hypocritæ peribit, non ei placebit vecordia sua, & sicut tela aranearum fiducia eius;*

Iob 8.

eius. Monitor quidem ſperat ſe plurimùm ſcripto ſuo Societati nociturum, & in ſummum odium omnium Socios adducturum; Sed è contra Societas magna ſpes eſt, fore vt Deo innocentiam ſeruorum ſuorum defendente, ſpes iſtius hypocritæ pereat & euaneſcat. Cùm Ionathas ſummus ſacerdos & dux populi Iſraëlitici, veniſſet Ptolemaidem ad Alexandrum Regem, *conuenerunt aduerſus eum,* ait
1. Mac: 10. ſcriptura, *viri peſtilentes ex Iſraël, viri iniqui, interpellantes aduerſus eum.* At quo profectu? *Et non intendit ad eos Rex. Et iuſſit ſpoliari Ionatham veſtibus ſuis, & indui eum purpura, & ita fecerunt. Et factum eſt, vt viderunt qui interpellabant, gloriam eius quæ prædicabatur, & opertum purpura, fugerunt omnes. &c.* Ecce quid ſint cõſecuti Zoili iſti ſuis criminationibus, aduerſus populi Antiſtitem & Ducem. Idipſum conſequi ſolent religioſorum hoſtes & criminatores, poſtquam induſtriæ ſuæ neruos omnes, ad eos opprimendos & ignominia afficiendos contulerunt. Nam non modò criminationibus eorum, non abſoleſcit religioſorum apud homines honor, ſed etiam maior in dies effloreſcit. Quod cùm accidit, non placet hypocritis vecordia ſua, & ſicut tela aranearum fiducia eorum. Euiſcerarunt ſicut araneæ ſeipſos, telas mendaciorum contra religioſos contexentes, quas leuiſſimus quiſq; flatus perrumpet: ipſis interim ſeipſos vecordiæ & amentiæ damnantibus. *Peccator,* ait Da-
Pſal: 111. uid, *videbit iuſtum, quem opprimere nitebatur florentem, & iraſcetur. dentibus ſuis fremet & tabeſcet: deſiderium peccatorum peribit.*

Deinde expedit cum primis, vt Monitor intelligat quid mercedis Agreſtinus ille, qui S. Columbani inſtitutum, maligno dente arroſerat, à Deo ſit conſecutus. Refert Ionas Abbas, S. Euſtaſium cum cauillos Agreſtini, & obiectiunculas leuiſſimas contra Regulam S. Columbani in medium allatas, multis audientibus refelleret, tandem in hæc verba prorupiſſe: *In præſentia omnium horum qui præſtò ſunt ſacerdotum, ego eius* (id eſt Columbani) *diſcipulus & ſucceſſor,*

cessor, cuius tu (Agrestinum compellabat) *disciplinam & instituta damnas, te ad diuinum iudicium cum eo, intra præsentis anni circulum causaturum inuito, vt iusti iudicis examine sentias, cuius famulum tuis detractionibus maculare procures.* Quid tum factum? Refert idem: *Cùm sibi pœnitentiæ locum datum, infelix Agrestinus, non cognouisset, vt Eustasij sententia ad iudicium eum inuocantis præualeret, ante triginta dierum circulum quàm vertentis anni meta compleret, à seruo suo quem ipse redemerat, securi percussus interijt, & occasio criminis dicebatur vxoris permixtio.* Hæc Ionas de miserabili interitu Agrestini, Audiat Monitor & timeat, ne cuius peccatum est imitatus, eiusdem etiam exitio diuinitus plectatur. Ego illum ad Dei iudicis seuerum post mortem tribunal non prouoco, sed ad aliud misericordiæ plenum, in hac vita pœnitentiæ tribunal inuito. Persuadere sibi certè debet, se grauissimam Dei offensam incurrisse, vel ob solum mendacij perniciosi crimen. Non est nescius se perniciosè, de Societate esse mentitum, sed nec ignorat quantopere Deus mendacio, in perniciem proximi dicto, offendatur. *Abominatio est Domino, labia mendacia.* Et, *Perdes omnes qui loquentur mendacium.* Et rursum: *Tota die iniustitiam cogitauit lingua tua, sicut nouacula acuta fecisti dolum. Dilexisti malitiam super benignitatem, iniquitatem magis quàm loqui æquitatem. Dilexisti omnia verba præcipitationis lingua dolosa. Propterea Deus destruet te in finem, & euellet te, & emigrabit te de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra viuentium.* Eiusmodi terrificas scripturæ sacræ denuntiationes, contra mendaces & calumniatores insidiosos prolatas, Monitor examinet, & timorem sanctum concipiat, quo ad peccatum suum agnoscendum detestandum, & debita pœnitentia expiandum inducatur, vt grauissimam offensi Dei vindictam, viuus & mortuus effugiat. Quod vt illi eueniat, Deum precor.

Prou: 12.

Psal: 51.

F I N I S.